

47

RECTOR
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS
IOANNES GODOFREDVS
LEONHARDI

PHIL. ET MED. DOCTOR PATHOL. ET CHIRVRG.
PROFESSOR PVBLICVS ORD. SOCIETATIS
OECONOM. ELECT. SAXON. SODALIS

HONORARIVS

ORATIONEM

A

GOTTHELF AVGUSTO SCHVMANNO

DRESCHWITIO-CIZENSI

MEDIC. CVLT.

FVTVRO IOVIS DIE

BENEFICI KORNFAILIANI CAVSSA

H. L. Q. CC

HABENDAM

CIVIA M ACADEMICORVM FREQUENTIAE

Dioge COMENDAT

48.

VERAE LAVS NOBILITATIS
EXEMPLIO ILLVSTRISSIMAE COMITIS
DE KORNFAIL
GENTIS ZINZENDORFFIAE

Quid quantumque nobile genus ad existimationem praedicationemque valeat, antiquitus fuit hoc uehementius in utramque partem disputatum, quod amor atque odium, infensissimi ueritatis hostes, tenebras offuderant, quo minus iustum cuique pretium statueretur. Quod in clarissima luce posuit Hieronymi Osorii, Ciceronis illius Lusitani, eloquentia, libris de nobilitate ciuili et Christiana, aliisque de gloria, tanta scriptis elegantia, ut Tullii ipsius iacturam prorsus resarciant. Alii stirpis antiquitatem famamque nimis extollunt, eaque uanitate contemptorem animum et superbiam, *quod commune nobilitatis malum* Sallustius censet (Iug. c. 64.) alunt, ab educatione prima iam satis confirmatum. Eandem fortunam deprimunt alii iniquius, omnes ingenii neruos intendentes, ut eam iocis ac salibus exagent, simultatemque tot calamitatum, in rebus publicis praesertim, parentem, grauius incendant. Quae quidem controversia non facile minuetur, nisi uaria huius decoris genera diligenter descripseris, a Dioge-

Diogene Laertio e Platonis disciplina enumerata
(III. pag. 90. ed. Lond.) Sic autem ille, breuitatis
caussa, e Graecis in Latinum conuersus. nobilitas, siue
εὐγένεια, in quatuor formas diuiditur. una, si maio-
res honesti fuerint, et boni, et iusti, ut, ex his ortos
nobiles, dicant, esse. altera, si maiores potentes, siue
dynastae, principesque euaserint, eamque potestatem
ad posteros propagarint. tertia, si maiores nomen
inuenerint, uel exercitibus ductis, uel corona, e cer-
taminibus deportata, idque cum posteritate com-
municarint. quarta, si quis ipse generoso animo et
magno eminuerit, ea excellentia praeter caeteros
nobilitatus, cui Plato primas tribuit. *της γε εὐγενίας*
ἀντη ορατίση. Quamuis autem haec originis insignis
diuisio in huius sapientis scriptis hodiernis non re-
periatur, ab Menagio frustra quaesita, atque in dialo-
go, uel amissio, uel mutilato, proposita, ab Aristote-
le uero seruata, quamuis Graecorum mores attingat,
ab nostris remotos, omisis quibusdam partibus, iis-
que minoris momenti, ac minus honorificis, ma-
teriam tamen luculentam ad ornamenta germana
laudibus efferenda praebet. Evidem progenie
auitam honestatem, bonitatem, iustitiam, detrahere
sine caussa nolim, memor illius, quod est apud Horatium
(Od. IV. 4) *fortes creari fortibus et bonis*. Qui
naturae cursus cum plures habeat exceptiones, pro-
be hic ipse subiungit, *doctrina uim promoueri insitam,*
et pectora cultibus rectis roborari, ut cunque mores defe-
cerint,

cerint, dedecorari bene nata culpis. Suspiciosior amplitudo e' maiorum potentia ac principatu, quod reverentiam metu magis exprimit, quam elicit comitate, asperiusque usurpata, uel impotentius, ire praeceps in maiorem turpitudinem solet. Stabilior meritorum domi forisque partorum, cum liberis ac nepotibus communicatio. nam, quo dulcior patriae charitas omnes bene animatos deuincit, eo libenter illos, qui eam adiuuerint, defenderint, auxerint, colunt, et, si ipsis non possunt, suboli referre gratiam student. Sed omnes effigies, etiam uetusissimas, uirtus superat, quae non aliunde pendens, sed in se ipsa sua ponens omnia, suis se uiribus sustinet, reteque facta cum omni aeternitate exaequat. haec sunt sola uere nostra, haec, quantacunque sunt, tota nostra, haec ab iudicibus incorruptis aestimantur unice. Caetera, tanquam flosculi, celeriter decidunt, ac praeter spem obscurantur, atque evanescunt. Nero scriptor dialogi de oratoribus, *minimum*, inquit, inter tot ac tanta locum obtinent imagines, ac *tituli*, et *statuae*, quae neque ipsa tamen negliguntur, tam hercule, quam diuitiae et opes, quas, facilius inuenies, qui uituperet, quam fastidiat. (c. 8.) Copiosius, nec sine salibus in uitiis ignobilem nobilitatem luenalis, ueteres cerae licet tota undique atria exornent, nobilitatem tamen solam esse atque unicam uirtutem, efficit. (Sat. VIII.) Sed summarum uirtutum chorum magnus animus ac generosus ducit, cuius rationem efficien-

efficientem, et amplitudinem, et utilitatem, Cicero
tanta dicendi uiri expressit (de Offic. I. 20.) Ille enim
res, quas caeteri mortales admirantur, sperant, me-
tuunt, contemnit, eaque magnitudine elatus, res gerit
egregias illas quidem, atque utilissimas. Cumque
angustissimi animi atque abiectissimi, diuitias ama-
re, has in primis spernit, si non habet, si quid abun-
dat, ad beneficentiam liberalitatemque confert

Eadem fuit excellentia animi praestantiaque ex-
citata Comes Illustrissima de Kornfail. Nullum qui-
dem nobilitatis genus ei defuit, de quo supra feci-
mus mentionem, e gente ac familia natae, maiorum
gloria florentissima. Horum alii, uirtutum studiis
popularium, clarissimum nomen adepti, adhuc con-
stante fama, omniumque sermone celebrantur. Alii,
ad honores sublimes euecti, eos non in superbiam
ac uiolentiam uerterunt, sed moderationem, huma-
nitatem, ac priuatae salutis et publicae adiumentum.
Alii denique domi forisque, atque in omni republi-
ca, tam sacra, quam ciuili, tantopere explendescunt,
ut, immortalibus editis operibus, dignitatem perpe-
tuam tueantur. At matrona nostra sola patrum
opinione maiorumque niti noluit, idem, quod Sene-
ca, sentiens. *qui imagines in atrio exponunt, et nomi-
na familiae suae longo ordine, ac multis stemmatum illi-
gata flexuris, in parte prima aedium collocant, noti ma-
gis, quam nobiles, sunt.* (de benef. III. 28) Ita potius
uiuere uoluit, ut esset ipsa sequenti aetati uirtutis ex-

emplar. Hanc plurimis per omnem uitam documentis comprobavit, sed magnificentius nullum eo, quo hanc Musarum sedem sibi in perpetuum obstrinxit. nam testamento mille Ioachimicos legauit, unde cultor artis salutaris studiorum subsidia caperet, auctore Boehmero nostro, egregii publici, quam utilitatis suae, cupidoire, qui singularibus de academia promeritis hunc addidit cumulum, dignissimum sane, quem saecula futura gratis et cogitationibus, et sermonibus, reuocent. Feminae prudentiam mirari satis non possum, siue consilium, siue ingeniorum dilectum, siue instituti rationem conformatiinemque, perpendo. Viderat hic paucitatem eorum, qui medendi artem feligendam putarent, sumptibus maioribus deterriti. His igitur uoluit opem auxiliuque ferre, ne scientia, generi hominum tam necessaria, iaceret neglecta. Nec uero promiscue omnes et communiter ad huius beneficii fructum admisit, sed iuuenes, a fortuna afflictos, et moribus commodis praeditos, quod asperitas agrestis non minus aegrotos irritat, deprimit, obfirms, quam comitas et facilitas conciliat, erigit, obsequentiores facit. Illud placet maximopere, quod, praeter indolem bonam, artium, quae ad humanitatem pertinent, idoneam notitiam spectari uoluit, idque iudicium doctoribus, medicinam profitentibus, permisit. Etenim, si qua hominum doctorum familia barbaris obruitur ac rudibus alumnis, eam, quae corporis

aliqua

8

ris sanitati ac uitae, qua nihil dulcior, charius nihil
in bonis externis, consulit, tot illotis, ut aiunt, ma-
nibus attingunt, ut dux Vinariensis, anno iam saecu-
li huius sexto et uicesimo, mandato cauendum sta-
tuerit, ne in disputationibus Medicorum Ienensium
Grammatica uulneribus, tam atrocibus, saucietur.
Quid memoria nostra pertinescendum uidetur, qua
linguae uitium fere elegantiae ducitur. Alia sensit
omnia politissima Femina, et, quo diligentius literae
tractentur, harum amatoribus munus suum trien-
nium concessit, si bene rem gesserint, atque inter
aequales excelluerint, per annum prorogandum,
quo facilius ad metam, sibi propositam, perueniant.
Cumque stylus sit optimus dicendi magister, sapien-
ter eadem iussit, altero post hoc donum perceptum
anno, pridie Eid. Ianuar. qua die fors fuit huic ar-
tium domicilio commissa, prodire in medium ado-
lescentem, munificentiae participem, orationeque
habenda, rationem eius, recte collocatae, reddere,
uiamque sibi ad honores patefacere. Quid ad huius
liberalitatis, adeo considerate institutae, nobilitatem
addi potest. Tu uero, Comes Gloriosissima, fruere,
coelo recepta, gaudiis, ab Seruatore nostro, quem
toto animo coluisti, partis. Ille in iudicio solemni
uirtutem Tuam nobilitabit uere, in omnium conspe-
ctum productam, qua, nomine suo, uictu cultuque
nudatos, recreasti. Quicquid iuuenes hi ad com-
munem fructum afferent, amori quoque Tuo refe-
retur

retur acceptum. Societas autem nostra literata
quamdiu numine diuino stabit, tamdiu honor Tuus;
et nomen, et laudes, permanebunt. Nos quidem
nihil praetermittemus, quo fiduciae, in nobis pos-
tiae, perhonorificae ex ase satisfiat. Vtinam exem-
plum, quod proposuisti, illustre plures flectat, ut
opes non caducis usibus, sed duraturis, relinquant.

Quae iusta pluribus prosequetur, cui primo fuit
huius boni usura data, SCHVMANNVS, omnibus,
quas auctor eius peposcit, dotibus instructus, prius
tamen incommoda, quae a munditie neglecta oriun-
tur, commemoraturus. Fauete, Ciues, proposito
honestissimo, uestraque attentione, quanto in pre-
tio uellos habeatis euergetas, comprobate. P. P.
Dom. I. post Epiphan. CIC CCLXXXVI

VITEMBERGAE

LITERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRIT


Ye 3447



Sb.

V317

03, 2001 Bd.



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

8
7
6
5
4
3
2
1
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
Inches
Centimetres

REC T O R
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS
IOANNES GODOFREDVS
LEONHARDI
PHIL. ET MED. DOCTOR PATHOL. ET CHIRVRG.
PROFESSOR PUBLICVS ORD. SOCIETATIS
OECONOM. ELECT. SAXON. SODALIS
HONORARIVS
ORATIONEM
A
GOTTHELF AVGVSTO SCHVMANNO
DRESCHWITIO-CIZENSI
MEDIC. CVLT.
FVTVR O IOVIS DIE
BENEFICI KORNFAILLIANI CAVSSA
H. L. Q. CC
HABENDAM
CIVIVM ACADEMICORVM FREQVENTIAE
COMMENDAT
Diogo

47

48